

tantum esse conditiones quasdam, quibus positus seu ad quarum praesentiam Deus confert gratiam. Unde solum dicuntur causae, tanquam conditiones necessariae et sine quibus gratia non datur. Ita Durand., in 4, d. 4, q. 4, et re vera illam tenet Scot., d. 2, q. 5, § Ad primam ergo quaestionem dico; quamquam in modo loquendi videatur differre; dicit sacramenta non esse dicenda causas per accidens gratiae, sed vera instrumenta et causas per se eodem modo, quo dispositio est causa per se formae et instrumentum ad illam producendam; nam ex ordinatione divina (inquit) sacramenti susceptio est veluti ultima dispositio gratiae, ad quam immediate consequitur. Quem dicendi modum variis conjecturis et exemplis philosophicis explicat, quae non oportet prolixius referre et expendere. Nihil enim ad praesens institutum confert, quia licet Scot. modum loquendi dissimulet, tamen re ipsa nihil aliud quam Durandus dicit, licet quas Durandus vocat conditiones necessarias, ad quarum praesentiam Deus dat gratiam ex sua promissione, ipse appellet dispositiones ex divina ordinatione sufficientes ac necessarias, et instrumenta Dei; qui modus loquendi gratis excogitatus videtur et sine fundamento; cur enim dicentur dispositiones illae, quae ex se nullam habent connexionem cum gratia, sed solum requiruntur, quia Deus voluit ad earum praesentiam dare gratiam? Item dispositio propria debet recipi in eodem subjecto vel saltem in eodem supposito, in quo est forma, quae fit per actionem agentis. Sed in primis formae omnes sacramentorum non recipiuntur in homine; neque cum fit Eucharistia, forma recipitur in pane aut in corpore Christi; quomodo ergo vocabitur dispositio? Idem argumentum fieri potest de multis materiis sacramentorum, ut v. gr. de Eucharistia, quae licet dicatur recipi ab homine, quando comeditur ab homine, tamen non recipitur in illo, tanquam in subjecto, sed solum applicatur illi. Quod non satis est ut vocetur dispositio, alias approximatio agentis ad passum vocari posset dispositio et causa per se. Et idem argumentum fieri potest de reliquis materiis, quae consistunt in quodam contactu. Ac denique, quidquid ex divina ordinatione extrinseca et voluntaria esset necessarium ad aliquem effectum, ita ut, illo posito, statim poneretur effectus, et non alias, posset dici dispositio ultima ad talem effectum; ut si Deus statueret, me loquente, creare Angelum vel aliquid huiusmodi; hoc autem

impropriissime diceretur, nec magis proprie vocatur hoc a Scoto instrumentum per se, cum revera nihil influat in effectum, nec sit aliud, quam conditio necessaria ex Dei ordinatione requisita. Item est argumentum ad hominem, nam, si hoc satis est ad rationem instrumenti, cur Scotus negat, posse dari instrumentum creationis? Item, quod Scot. ait, dispositionem ultimam esse instrumentum ad formam, non satis consequenter ab eo dicitur, quia ultima dispositio non habet actionem aliquam circa formam introducendam, sed solum, informando subjectum, praeparat illud ad introductionem formae. Unde licet calor, v. gr., quo ignis introducit ultimam dispositionem in ligno, possit dici instrumentum ignis ad generandum sibi simile, tamen calor productus in ligno, qui est ultima dispositio, non potest proprie dici instrumentum ad generandum ignem. Quare, si sacramenta sunt dispositiones et non habent aliam actionem, non proprie vocabuntur instrumenta. Scotus ergo non videtur locutus in rigore philosophico, sed late vocavit dispositionem vel instrumentum, morali quadam ratione, et ita comparat huiusmodi causalitatem cum merito et similibus. Unde Gabr., eadem d. 2, quaest. 5, art. 4, not. 3 et 4, et art. 2, conclus. 6 et 7, licet sequatur hanc opinionem Scoti, fatetur tamen, juxta illam, sacramenta non esse nisi conditiones quasdam; addit vero, non vocari causas per accidens, sed per se, quia posita causa per accidens, non sequitur infallibiliter effectus; positus autem sacramentis, sequitur necessario effectus. Sed hoc nec verum est, nec sufficiens. Approximatio enim agentis naturalis, talis est, ut illa posita sequatur infallibiliter effectus, remotis extrinsecis impedimentis, et tamen non est causa per se. Et ratio est, quia hoc non sufficit ad causam per se; sed praeterea requiritur, quod ex propria virtute et influxu ejus sequatur effectus; ut quando sol appropinquat aeri, statim sequitur lumen; non tamen ex virtute approximationis, sed lucis, quae est in sole; sic ergo, si sacramenta sunt tantum conditiones necessariae, gratia fiet solum ex influxu Dei; sacramenta ergo erunt causae per accidens, physice loquendo. Quamquam moraliter possint dici causae per se, quia, quod est per accidens in genere physico, censetur per se in genere moris, ut ad hoc propositum recte notavit Bonav., in 4, d. 4, art. 4, quaest. 4. Sicut sigillum vel scriptura est conditio, qua posita sequitur effectus, et licet physice sit causa per

accidens, tamen moraliter censetur habere vim quamdam, et esse per se causa.

10. *Quartus modus explicandi hanc sententiam.* — Quarto igitur alii, negando sacramenta esse causas physicas gratiae, docent esse causas morales, quam sententiam docet late Can., relect. de Sacram. in gen., par. 4, ubi prius late improbat opinionem Scoti et Dur., postea vero ac si novum aliquid et diversum ab eis diceret, concludit, sacramenta esse tantum causas morales, quia sunt veluti chirographa continentia sanguinem Christi, qui fuit nostrae redemptionis pretium. Quam sententiam etiam defendit Ledesm., 4, p. 4, quaest. 3, art. 4, circa fin. Quae quidem in se probabilis est, ut dicemus, tamen in impugnatione aliarum opinionum sibi similibus non sibi constat, quia sacramenta esse chirographa vel causas morales, si bene expendatur, nihil aliud est, quam esse res vel conditiones quasdam, quae ex institutione Christi, et promissione Dei, fundata in sanguine Christi pro nobis effusi, hoc habent, ut illis positus et applicatis, statim nobis gratia detur. Quod si contra hanc opinionem objiciatur, quia instrumentum debet esse proportionatum causae principali; Deus autem, qui est causa principalis gratiae, non est causa moralis, sed physica; ergo sacramenta, quae sunt illius instrumenta, non possunt esse instrumenta moralia, sed physica; facile responderi potest eandem esse posse causam physicam et moralem; nam causa physica est, quae propria actione influat in effectum, quae si per intellectum et voluntatem libere operetur, simul erit causa moralis, maxime propria et principalis, atque in hunc modum Deus simul est causa physica et moralis. Et ideo respectu effectus, quem Deus operatur, non repugnat dari alias causas, seu instrumenta moralia. Illa enim causa dicitur moralis tantum, quae per se non habet vim ad influendum in effectum; potest tamen movere moraliter, et inducere causam principalem, ut efficiat effectum; et hoc modo causa consulens est moralis, et epistola vel chirographum, quod movet hominem ad solvendas pecunias, vel ad aliquid aliud agendum, est causa moralis et instrumentum morale, quamvis homo et moraliter et physice illam actionem efficiat. Sic ergo sacramenta dicuntur juxta hanc sententiam causae morales gratiae, quia illis applicatis, quasi movetur et excitatur Deus ad gratiam, et physice, et voluntarie, atque adeo moraliter conferendam.

11. *Quintus modus explicandi hanc sententiam.* — Unde intelligitur, non esse diversum ab his quintum dicendi modum, quem Ledesm. refert et impugnat non satis consequenter, neque constanter; dixerunt enim aliqui, sacramenta esse causas gratiae solum quia, cum applicantur, movent et excitant Deum ad conferendam gratiam. Quod enim hic modus dicendi non sit diversus a praecedentibus constat, quia illa motio, de qua hic agitur, non est propria et physica, sed metaphorica et moralis fundata in pacto et promissione Dei. Nam exhibita illa exteriori caeremonia et signo externo, recordatur Deus, (ut more Scripturae loquar) pacti sui, et suam promissionem implet ad eum modum, quo Genes. 9, dixit Deus: *Arcum meum ponam, ut sit in signum foederis.* Omnes ergo isti modi reducuntur ad causalitatem moralem; imo, ut recte D. Thom. hic dixit, nullus eorum transcendit rationem signi, sicut in citato loco Genes. dicitur, arcum illum esse in signum foederis, licet simul dici possit causa moralis, et chirographum non aliter est causa moralis, quam significando, ac testificando et revocando in memoriam priorem promissionem.

12. *Sextus modus explicandi hanc sententiam, Henrici.* — Ultimus modus explicandi hanc sententiam est Henrici., Quodlib. 4, q. 37, ubi prius impugnat sententiam asserentem, sacramenta esse tantum conditiones necessarias, ac deinde negat causalitatem physicam, tandem vero concludit, sacramenta esse instrumenta gratiae, quia Deus, ut speciali modo in illis existens, efficit gratiam, ut causa principalis. Haec vero opinio et nihil dicit diversum a praecedentibus et obscuriori modo rem proponit. Inquiri enim, quid sit Deum speciali modo existere in sacramentis? Utenim omittam Eucharistiae sacramentum, in reliquis nihil aliud esse potest, quam virtutem divinam ex promissione et certa lege ita adesse sacramentis, ut illis applicatis, Deus gratiam efficiat. Quid enim aliud fingi potest? Nam Deus in ipsis sacramentis nullum effectum novum operatur; ergo nec novo modo in illis existit, praeterquam per essentiam, praesentiam et potentiam. Interrogo ergo, an virtus divina adsit praedicto modo sacramentis, ut per ipsa proprie ac physice operetur, vel ut ipse solus ad praesentiam eorum operetur. Nam etiam inter haec duo non potest aliquod medium excogitari. Et primum non admittit Henricus; ergo necesse est, ut incidat in secundum; illud autem nihil aliud est, quam

esse conditiones, ad quarum præsentiam Deus operatur. Sed inquit Henricus aliud esse Deum assistere in sacramento, aliud esse in ipso, nam primum non sufficit ut sacramentum sit causa, secundum satis est. Nam in circumcisione (inquit) Deus assistebat sacramento, quia ad præsentiam ejus dabat gratiam ex promissione sua, tamen non erat in ipso sacramento; in baptismo vero et assistit, et speciali modo est Deus, et ideo ipse baptismus dicitur dare gratiam, ut instrumentum. Sed hæc omnia in verbis solum consistere videntur. De re autem ipsa non explicant aliquid, quod mente concipi possit. Quid enim esse potest, Deum esse in baptismo, nisi esse paratum ad efficiendum specialem effectum in præsentia baptismi ex sua promissione, cum neque in illum aliquam rem influat, neque illo utatur specialiori modo, ut instrumento physico, juxta hanc sententiam? Omnium igitur horum auctorum una est in re sententia, quamvis verbis dissentiant. In qua nonnulla dicuntur, quæ vera et certa sunt. Primum, causalitatem sacramentorum requirere promissionem divinam; nam, hæc seclusa, ex solis rerum naturis non sequitur talis effectus; nec potest esse certus et infallibilis, nisi nitatur in divina promissione, ut sæpe dictum est. Secundum, sacramenta esse tales conditiones sensibiles, quibus positis, necesse est sequi gratiæ effectum, supposita institutione et promissione. Hoc per se constat ex dictis et ex omnibus testimoniis Patrum, quæ attulimus et quæ statim afferemus. Tertium est, recte posse dici sacramenta causas morales gratiæ et moraliter continere pretium et valorem sanguinis Christi. Nam sicut Christi passio fuit causa moralis nostræ redemptionis, ita sacramenta, per quæ applicatur ejus virtus, possunt dici causæ morales; et hoc probant omnia, quæ inter explicandas prædictas sententias dicta sunt, et in sequenti disputatione amplius confirmabitur. Unum ergo, in quo omnes prædictæ sententiæ conveniunt, scilicet, sacramenta non habere alium causandi modum præter dictum, examinandum superest.

43. *Secunda sententia principalis.* — Secunda igitur sententia principalis est, sacramenta esse causas gratiæ, quia per veram actionem physicam concurrunt ad sanctificandos homines. In explicanda vero hac sententia tres sunt modi diversi, quos in præcedenti sect. tetigimus. Primus est eorum, qui dicunt, sacramenta physice efficere

dispositionem aliquam ad gratiam, non vero immediate attingere ad gratiam ipsam, sed hanc efficere solum Deum. Ita Capreol., Palud., Thom. de Argent., Alex. Alens., et aliquando D. Thom., ut ibi retulimus. Sed hæc sententia satis improbata est in prædicto loco, quia et nulla fingi potest talis dispositio, et quia eadem difficultas est in efficientia hujusmodi dispositionis, quæ esse potest in efficienda ipsa gratia. Secundus modus dicens est, sacramenta efficere hominem gratum, non efficiendo gratiam ipsam, sed efficiendo unionem ejus ad animam. Sed hæc etiam improbata est, tum quia non est difficilius attingere unionem, quam gratiam, cum neutra creetur, et utraque sit spiritualis et supernaturalis; tum etiam quia supposito quod gratia sit dependens in fieri et in esse ab anima, non potest sacramentum efficere unum, quin efficiat aliud. Denique, quia Patres non solum affirmant sacramenta efficere hominem gratum, sed etiam efficere gratiam; si ergo ad verificandum primum ponitur efficientia physica, cur non ad secundum? nam sola efficientia unionis non satis est, ut sacramenta dicantur efficere gratiam; sicut homo efficit hominem, non tamen animam, quia non attingit animam ipsam, sed solum unionem ejus. Tertius ergo modus proprie ac rigorose explicandi hanc sententiam est, sacramenta efficere gratiam, quia ipsamet actio physica, per quam gratia fit et educitur de potentia obedientiali animæ, vere ac realiter et physice pendet ab ipsis sacramentis. Ita sentit D. Thomas hic, quem Cajetanus ita intelligit et sequitur, et infra, q. 78, art. 4, et hæc sententia est jam communis in schola D. Thomæ, et mihi videtur valde consentanea dignitati nostrorum sacramentorum, et locutionibus Scripturæ, Conciliorum et Sanctorum, et facillime defendi posse, et ideo non esse ab ea discedendum.

44. *Conclusio.* — *Sacramenta novæ legis sunt vera instrumenta, attinguntque vere ac physice gratiæ productionem.* — Dicendum est enim, sacramenta novæ legis esse vera instrumenta per veram ac physicam efficientiam attingentia veram gratiæ productionem. Probatur primo, quia hoc est magis consentaneum illis locis sacræ Scripturæ, in quibus dicimur mundari et sanctificari et regenerari ex aqua, aut per lavacrum regenerationis, et lavacro aquæ in verbo vitæ. Si autem Scripturæ verba possunt cum omni proprietate intelligi sine inconvenienti, imo maxime acco-

modate ad res, de quibus agitur, non est cur recurramus ad sensus improprios; posita autem hac effectione sacramentorum, propriissime intelliguntur omnes dictæ locutiones; juxta alias vero sententias, non nisi valde improprie. Secundo, sumi potest simile argumentum ex modo loquendi Conciliorum; Florent. enim et Trident. supra dicunt, sacramenta gratiam continere et conferre, et de quibusdam eorum dicunt imprimere characterem, et de verbis Eucharistiæ, virtute illorum confici corpus et sanguinem Christi; quæ omnia multum indicant prædictam efficientiam. Est etiam optimus ille locus Concil. Trident., sess. 6, can. 7, ubi annumerans causas gratiæ dicit, *baptismum esse instrumentalem causam ejus*; omnia autem alia genera causarum, quæ numerat, sunt propriissima, singula in rationibus suis; sentit ergo etiam baptismum esse vere ac proprie instrumentum, quod esse non potest sine prædicta efficientia, ut satis constare potest ex his, quæ dicta sunt, referendo opinionem Scoti et aliorum. Quapropter Concil. Mogunt., can. 44, sic inquit: *Doceant pastores, septem esse Ecclesiæ sacramenta, divinitus instituta, per quæ velut apta instrumenta, atque remedia, suæ gratiæ munera nobis impartitur Deus.* Et infra, dicit, sacramenta esse sancta signacula et efficacia signa. Et Concil. Senon. in Decretis fidei, can. 40, dicit, sacramenta habere vim divinæ gratiæ conferendæ; et similia fere habet Concil. Colon., p. 7, can. 4. Tertio, possumus eodem modo argumentari ex sententiis Patrum. Sylvester Pap., apud Niceph., lib. 7 Hist., cap. 33, sic loquitur ad Constantinum ad baptismum accedentem: *Hæc aqua, Imperator, divina virtute per invocationem vivificæ Trinitatis concepta, sicut exterius corpus hominis abluit, ita etiam interius animam mundat, et splendidiorem radiis solaribus efficit.* Secundo, Leo Pap., epist. 4, cap. 6, dicit, baptismo datam esse virtutem et potentiam renovandi et regenerandi hominem; et serm. 4, de Nativit., dicit, homini renascenti baptismum esse instar uteri virginalis; et serm. 5, habet illa verba, quæ supra citavi: *Virtus altissimi, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, facit, ut regeneret unda credentem.* Tertio, Cyprianus, in serm. de Cœna Dom., agens de Eucharistia: *Panis (inquit) est esca propter nutrimenti congruentiam, sanguis propter vivificationis efficientiam; et infra: Panis iste communis in carnem et sanguinem mutatus procurat vitam et nutri-*

mentum corporibus, ideoque ex consuetu rerum effectu fidei nostræ adjuta infirmitas sensibili argumento edocta est, sensibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, et non tam corporali, quam spirituali transitione, Christo nos unire. Similia habet in serm. de Unctione chrismatis, et lib. 2, epist. 2. Quarto, Chrysostomus, Hom. 25, in Joan.: *Novum jam naturæ nostræ intexitur opificium a Spiritu Sancto et aqua; quod enim est matricæ embryoni, hoc et fidei aqua; et infra: Ex quo Jordanis alveum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales et spirituales aqua producit; et Hom. 35: Futurum erat baptismum plenum maximæ potestatis et gratiæ, purgaturum peccata, pro mortuo vivum effecturum; et Hom. 46, in ad Rom., circa illa verba, c. 9: *In Isaac vocabitur tibi semen*, comparat eos, qui nascuntur ex aqua, cum Isaac: *Qui natus est (inquit) non secundum naturæ vires, sed secundum vires promissionis, quam comparisonem ibi late persequens, aquæ sæpe tribuit supernaturalem vim et efficaciam; atque eandem tribuit late et eleganter verbis consecrationis, Homil. de Proditione Judæ, circa finem. Quinto, Damascenus, lib. 4 de Fid., c. 10, sæpe dicit, per aquam nos mundari, et potum sanguinis esse causam vitæ æternæ; et c. 44, dicit, Christum verbo suo efficaciter panem et vinum in corpus suum et sanguinem transmutasse, et eandem vim dicit habere verba a sacerdote prolata. Sexto, eodem modo loquitur de baptismo Justinus, in dial. cum Triph.; de baptismo et Eucharistia in Apol. 2 pro Christianis, circ. fin. Septimo, Greg. Nyssen., l. de Baptism., in princ., dicit, per baptismum dari nobis spiritualia dona; et infra dicit, esse causam spiritualis regenerationis; et infra dicit, Eucharistiam habere in nobis excellentem operationem; et infra comparat sacramenta cum virga Moysis: *Per quam (inquit) voluit Deus efficere sublimia; et tandem comparat cum virtute miraculorum effectrice. Octavo, Cyrillus Alex., lib. 2 in Joan., cap. 42, postquam dixerat per baptismum dari gratiam, subdit: Sicut enim viribus ignis intensius aqua calefacta calorem efficit non aliter quam ignis, sic Spiritus Sancti operatione ad divinam aquæ reformantur virtutem, qua baptizatum abstergunt; atque eodem modo loquitur de Eucharistia, lib. 4 in Joan., c. 16; lib. autem 7 contra Julianum circa finem dicit, sacramenta Christi, non tantum ad res sensibiles et visibiles pertin-***

gere, sed Christum, qui magna facilitate mirabilia operatus est, dedisse illis vim et virtutem mirabilem et supernaturalem. Nono, eodem fere modo loquitur Cyril. Hierosol., in præfat. ad Catech., circa finem, et Catech. 3, et 4. Decimo, Theodoret., in Epitom. divin. officiorum, c. de Baptismo, dicit, baptismum efficere nos participes Christi, et largiri remissionem peccatorum. Undecimo, Ambr., lib. 1 de Sacram., cap. 5: *Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi*; et infra: *Non sanat aqua, nisi Spiritus Sanctus descenderit, et aquam consecraverit*; et lib. 3, c. 1: *Tibi reservatum est, ut aqua te generet ad gratiam, sicut illa generavit ad vitam, etc.*; et lib. 4, cap. 4: *Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint, quæ erant, et in aliud commutentur*. Duodecimo, August., tract. 80 in Joan., habet illa verba: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat?* et epist. 23, dicit, aquam cum Spiritu regenerare hominem in Christo, et multa similia habet de baptismo, tract. 5 in Joan.; et Patres, ubicumque loquuntur de baptismo, dicunt, datam esse illi mirabilem virtutem ad nos sanctificandos, ut patet ex Greg. Nazianz., orat. de Baptismo, et Beda, serm. 1 de Epiph., et aliis, quæ referuntur in decreto de Consecrat., dist. 4, et de baptismo traduntur similia, de Consecr., dist. 2. Et ubique significant esse magnum divinæ omnipotentiae opus, quod rebus sensibilibus vim dederit ad effectus mirabiles producendos; si autem sacramenta tantum essent conditiones, quibus positus, Deus operaretur, nullum esset in hoc speciale opus omnipotentiae.

15. Quarto, argumentari possumus ex veritate et proprietate verborum sacramentalium, seu formarum sacramentorum, præsertim ex illis, *Ego te absolvo*, quæ fundantur in verbis Christi, Joan. 20: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*; ad illorum enim veritatem oportet, ut sacerdos illa proferens, vere absolvat, ut docuit Concil. Constant., sess. 45. Ergo necesse etiam est, ut vere conferat gratiam, quæ est forma, per quam peccator a peccato absolvitur; sed non potest sacerdos dici vere conferre gratiam, nisi saltem suo verbo illam efficiat; nam, si solus Deus efficit ad præsentiam verbi, ergo solus Deus remittit et absolvit, et non vere, ac proprie sacerdos; sicut in moralibus exemplis supra positus, quamvis oblato, seu præsentato

chirographo, alius debitum solvat, non dicitur proprie solvisse debitum, qui chirographum obtulit; ut ergo hujusmodi locutiones in omni proprietate veræ sint, oportet ut ministri sacramentorum per illa verba gratiam efficiant.

16. Quinto, argumentari possumus, quia Christus sua humanitate tangendo, vel loquendo, faciebat miracula, et conferebat gratiam per veram et physicam efficientiam, ut in primo tomo late ostensum est; ergo idem sentiendum est de sacramentis. Probatur consequentia, primo, quia Scriptura sacra et sancti Patres eodem modo loquuntur de sacramentis, quo de Christi humanitate. Secundo, quia sacramenta non reputantur, nisi tanquam verba et actiones ipsiusmet Christi, ut v. gr. in Eucharistia verba proferuntur in persona Christi, et ideo eandem vim nunc habere censentur, quam habuerunt in nocte Cœnæ ab ipso prolata, et caro ipsa Christi sicut tactu suo vivificabat, ita in sacramento existens vere vivificat animam, juxta illud: *Qui manducat me, vivet propter me*. Propter quod dixit Concil. Ephes., in illo sacramento accipi, non communem carnem, sed vere vivificatricem, per quam sanctificamur. In aliis vero sacramentis Christus est, qui principaliter operatur. Unde, sicut humanitas ejus est verum ac proprium instrumentum physicum conjunctum, ita sacramenta sunt vera et propria instrumenta ejus ad gratiam efficiendam.

17. Sexto, tandem potest afferri congruentia, supposita possibilitate hujus efficientiæ, de qua supra dictum est; quia decuit Deum uti illis hoc modo, tum ad majorem dignitatem, sanctitatem et excellentiam horum sacramentorum; tum etiam ad divinæ omnipotentiae ostensionem; aliquid enim amplius et excellentius videtur tribuendum divinis sacramentis, et instrumentis etiam in modo operandi, quam tribuatur signis recordativis pacti, seu promissionis; nam totum hoc genus causalitatis, si quod est, non transcendit rationem signi, ut D. Thomas dixit, et quodammodo attribui etiam potest circumcisioni. In quo argumento magnam vim aliqui faciunt contra Scotum; sed quantam habeat efficaciam, dicemus disputatione sequenti. Illud vero nonnihil juvat, quia etiam dæmon in magicis artibus solet opem suam illo modo promittere ad præsentiam alicujus signi sensibilis, quod ipse constituit in memoriam promissionis et pacti, quod inter eum et aliquem pravum hominem intercessit; decet

ergo, ut altiori modo Deus efficiat per sua sacramenta.

18. *Ad primum argumentum.* — Ad argumenta in principio posita respondetur. Ad primum, Sanctos ibi citatos non negare efficientiam sacramentorum, quam eisdem, vel aliis locis ipsimet docent, sed significare, solum Deum et Spiritum Sanctum esse principalem gratiæ auctorem, a quo virtus sacramentorum manat; et ideo distinguunt, quid sit in sacramentis ex se, seu ex propria virtute ministrorum, quid vero ex dono, seu motione Spiritus Sancti. Nam id, quod est visibile et externum, est ab homine virtute propria; quod est autem invisibile et spirituale, est a virtute Spiritus Sancti operantis per sacramenta. Unde Augustinus, lib. 4, de Baptismo, cap. 22: *Nemo (inquit) debet contemnere sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter exhibetur; nam per hoc Deus hominis consecrationem spiritualiter operatur*. Deus ergo est, qui principaliter operatur, sed per sacramenta tanquam per instrumenta; et Ambrosius, epist. 84, circa medium: *Non est (inquit) idem in sacramento forma, quod virtus; nam forma cum humani ministerii obsequio exhibetur, virtus autem per divini operis præstatur effectum, ad cujus utique potentiam referendum est, quod, dum homo exterior abluatur, mutatur interior*; et Basilius, dict. lib. de Spiritu Sancto, quasi explicans verba superius citata subdit: *Quod si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus præsentia*; et ad hunc modum sunt exponenda reliqua testimonia. Illa vero ultima locutio Augustini scilicet, hominem non dare Spiritum Sanctum, eatenus vera est, quatenus dare significat auctoritatem quamdam in dante, ac si proprio arbitrio et virtute donet. Hoc enim modo solus Spiritus Sanctus seipsum donat, et a Patre, et Filio mittitur, ut docuit etiam D. Thomas, 4 par., q. 43, art. 8. Denique ad hanc totam responsonem confirmandam sunt optima verba Bernard., lib. 5, de Consideratione ad Eugen., non longe a principio, ubi de angelicis virtutibus sic loquitur: *Virtutes pro suo ministerio et potentia satagunt excitare corda torpentia hominum, innovatione signorum, virtus vero in eis manens ipsa facit opera. Faciunt et illæ, sed in comparatione ejus non faciunt*.

19. *Ad secundum.* — Ad secundum respondetur, efficientiam physicam sacramentorum potissimum esse circa gratiam habitualement, et

virtutes, quæ illam consequuntur; gratia vero sacramentalis non est necesse, ut in se fiat physice per sacramentum, sed satis est, ut sacramenta efficiant gratiam habitualement, per quam, ut a sacramento effectam, acquiritur et divina promissione et ordinatione jus ad obtinenda illa dona et auxilia, in quibus gratia sacramentalis consistit. Quod vero pertinet ad effectus morales, satis est, quod ratione sacramentorum moraliter tribuantur. Nam, ut dixi in primo tomo tractando de potentia humanitatis Christi, divinis instrumentis ita est unusquisque effectus tribuendus, sicut factibilis est. Et ideo effectus physicus, qui per veram efficientiam physicam fieri potest, hoc modo fit a sacramento. Effectus autem moralis tantum postulat, ut moraliter fiat. Nam etiam ab ipso Deo unusquisque effectus fit juxta modum et capacitatem suam.

20. *Ad tertium.* — Ad tertium aliqui Thomistæ conantur defendere effectum sacramenti, qui datur recedente fictione, fieri effective et physice a sacramento præterito, et putant esse posse instrumentum physicum ac reale, id quod præterit, licet nunc non sit neque in se, neque in aliqua reali virtute, quam reliquerit. Sed hæc doctrina est falsa, ut late ostendi in prædicta disput. 1 tomi, et ideo in ea impugnanda hic amplius non immorabor. Alii ergo dicunt, effectum fieri proprie et physice a virtute reali relicta a sacramento, quod præterit, et ratione illius tribui hanc efficientiam ipsi sacramento; hanc autem virtutem dicunt esse characterem, in his, quæ imprimunt illum; nam cum sit res et sacramentum simul, mirum non est, quod efficere possit rem tantum, quæ est gratia. In aliis vero fortasse dicerent esse ornatum, vel aliquid simile. Sed hoc de ornatu in superioribus est satis improbatum; ergo de sacramento, v. gr. pœnitentiæ, si fecte suscipiatur, certum est, nullam efficere in homine qualitatem permanentem per modum habitus, quæ postea recedente fictione possit gratiam efficere. De characterem vero non est dubium, quin possit Deus, si velit, uti illo, ut instrumento ad infundendam gratiam, recedente fictione; tamen certum est primo et per se non infundi characterem ad hunc finem, ut postea videbimus; unde sine fundamento dicitur, Deum uti illo, ut instrumento. Quando enim a principio infunduntur simul character et gratia, non fit gratia a characterem, sed utrumque fit immediate a sacramento; ergo,